

dicantes. Redite ergo, prævaricatores, ad cor, et in toto corde quærite Dominum, et odite malum; pœnitentes non verbo tantum et lingua, sed spiritu et veritate. Quia vero non satis cecidisse piget hominem, ut videtur, qui adhuc manere disponit in lubrico; aut errasse, qui ducem non quærit: sit veræ compunctionis indicium, opportunitatis fuga, subtractio occasionis. Alioquin timendum valde ne dies ista (siquidem et ipsa posita est in ruinam et resurrectionem multorum) reprobet vos, vel tanquam manifeste alienos a Christo, Christo non communicantes, vel tanquam socios Judæ, in quem intravit Satanæ post buccellam (*Joan. XIII, 27*).

18. Sed quid ad nos, fratres, de his qui foris sunt judicare? nisi quod in eodem non fuisse laqueo plangimus, ab eodem erutos gratulamur, sola misericordia operante, in quo miserabiliter eos detineri fraterna charitate dolemus. Utinam autem vel nos jam sanctificati, et penitus alieni ab hac misera et sacrilega consuetudine inveniamur, nec quidquam in nobis pereat **§§§** aut minuatur de exercitio spirituali sacræ resurrectionis adventu, sed transire magis et excrescere studeamus! Quicumque enim

post lamenta pœnitentiæ non ad carnales redit consolationes; sed in fiduciam divinæ miserationis excedit, ingreditur novam quamdam devotionem et gaudium in Spiritu sancto; nec tam compungitur præteritorum recordatione peccatorum, quam delectatur memoria et inflammatur æternorum desiderio præmiorum: is plane est cum Christo resurgit, qui Pascha celebrat, qui festinat in Galilæam. Vos ergo, charissimi, si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram (*Coloss. III, 1, 2*): ut quemadmodum Christus resurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et vos in novitate vitæ ambuletis (*Rom. VI, 4*); ut a sæculari lætitia et consolatione mundi per compunctionem et tristitiam, quæ secundum Deum est, ad devotionem sanctam, et spiritualem vos transire gaudeatis exultationem, ipso præstante, qui transivit ex hoc mundo ad Patrem, et nos quoque trahere post se, et in Galilæam vocare dignatur, ut semetipsum nobis ostendat, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

IN TEMPORE RESURRECTIONIS, AD ABBATES.

SERMO II (43).

De lectione evangelica, « Maria Magdalene, Maria Jacobi, et Salome, » etc. (Marc. XVI, 1.)

1. Accepimus ab Apostolo *habitare Christum per fidem in cordibus nostris* (*Ephes. III, 17*). Unde videtur non incongrue intelligi posse, tandiu Christum in nobis vivere, quandiu vivit fides. At postquam fides nostra mortua est, quodam modo Christus mortuus est in nobis. Porro fidei vitam opera attestantur, sicut scriptum est: *Opera, quæ dedit mhi Pater, ipsa testimonium perhibent de me* (*Joan. V, 36*). Nec discrepare videtur ab hac sententia, qui fidem sine operibus mortuam asserit in semetipso (*Jac. II, 20*). Sicut enim corporis hujus vitam ex motu suo dignoscimus, ita et fidei vitam ex operibus bonis. Itaque vita quidem corporis est anima, per quam movetur et sentit; vita vero fidei charitas est, quia per illam operatur, sicut in Apostolo legis: *Fides quæ per dilectionem operatur* (*Galat. V, 6*). Unde et refrigescente charitate fides moritur, sicut corpus anima recedente. Tu ergo si videris hominem in bonis operibus strenuum, et fervore conversationis hilarem; vivere in eo fidem non dubites, indubitata tenens vitæ illius argumenta. Sed sunt nonnulli, qui, cum spiritu cœperint, heu! carne postea consumantur. Scimus autem quia jam tunc non permaneat in eis spiritus vitæ, quia scriptum est: *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est* (*Gen. VI, 3*). Quod si non permanet spiritus, hæud dubium quin excidat charitas, quæ nimirum

diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctam qui datus est nobis (*Rom. V, 5*).

2. Porro fidei vitam, ut jam diximus, in charitate constituit, qui fidem per dilectionem perhibuit operari. Hinc ergo colligitur, recedente Spiritu fidem mori; quoniam Spiritus est qui vivificat (*Joan. VI, 64*). Denique, si sapere secundum carnem mors est (*Rom. VIII, 6*); non dubium quin illi quos vivere lætabamur, quandiu facta carnis spiritu mortificabant, secundum carnem viventes plangendi sint tanquam mortui. Unde et in eodem apostolo legis: *Si, inquit, secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis* (*ibid., 13*). Væ tibi, quicumque es, canis reversus ad vomitum, et sus lota in volutabro lutu (*II Petr. II, 22*)! Non ad eos tantum loquor qui corpore, sed etiam eos qui corde redeunt in Ægyptum, sæculi hujus oblectamenta sectantes, ac proinde fidei vitam quæ est charitas, non habentes. Si quis **§§§** enim diligit mundum, non est charitas Patris in eo (*I Joan. II, 15*). Quis magis mortuus eo, qui fovet ignem in sinu, peccatum in conscientia; nec sentit, nec expavescit, nec excutit?

3. Ecce igitur Christus in sepulcro, fides mortua est in animo. Quid faciemus ei? Quid fecerunt sanctæ mulieres, quæ solæ ex omnibus suis ampliori tenebantur affectu? *Emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum*. Nunquid ut suscitarent? Et nos scimus, fratres, quia suscitare nostrum non est, sed ungere nobis incumbit. Cur hoc? Nempe ne feteat sermonem tertium olim collocari solebat. Confer sermonem 58 De diversis.

(43) Sic veterem sermonum paschaliū ordinem restituimus ex manuscriptis et primis editis, omisso hic sermone 44 De diversis, qui post sequentem

qui huiusmodi est ne sit cæteris odor mortis, ne perefluat, et penitus dissolvatur. Emant proinde aromata sua tres mulieres, mens, lingua, manus. De his enim, ut arbitror, Petrus mandatum accepit tertio pascere gregem Domini (*Joon. xxi, 17*). Pasce, inquit, mente, pasce ore, pasce opere; pasce animi oratione, verbi exhortatione, exempli exhibitione.

4. Quærat igitur mens aromata sua: ante omnia compassionis affectum, dehinc rectitudinis zelum, et inter hæc discretionis spiritum non omittat. Quoties enim peccantem videris fratrem, continuo procedere debet compassionis affectus, tanquam cognatus humanitati, quippe quæm concipis ex te ipso. Vos, inquit Apostolus, qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne et tu tenteris (*Galat. vi, 1*). Et cum exiret Dominus bajulans sibi crucem, et plangerent super eum, nondum quidem omnes tribus terræ, sed mulieres paucae, conversas ad eas: *Filiæ*, inquit, *Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, et super filios vestros* (*Luc. xxiii, 28*). Ordinem diligenter attende. *Super vos*, inquit, primo; deinde *super filios vestros*. Temetipsum attende, ut alii noveris compati, ut arguas in spiritu lenitatis. Te ipsum considera, ne et tu tenteris. Sed, quia exemplum efficacius persuadet et altius imprimit animo, mitto vos ad sanctum illum senem, qui cum audisset peccasse unum ex fratribus, amarissime flebat, inquit: « Ille hodie, et ego cras (*In Vitis Patrum*). » Qui sic flebat super se, putas quia non compassus sit fratri? Hic itaque compassionis affectus multis quidem prodest, quia animus liberalis contristare, quem pro se viderit anxium, erubescit.

5. Sed quid agimus, quod nonnulli dura cervice et atrita sunt fronte, ut quo magis eis compatimur, tanto magis nostra et compassione et patientia abutantur? Nonne sicut compatiēbamur fratri, ita ipsi justitiæ compatiendum est, quam videmus tam impudenter abjici, tam imprudenter provocari? Scio quia, si qua in nobis est charitas, contemptum hunc Dei ferre æquanimiter non possumus. Hic est zelus justitiæ, quo adversus delinquentes accendimur, tanquam pietate dueti erga eam, quam contemni videmus, justitiam Dei. Verumtamen oportet ut priora sibi vindicet compassionis affectus. Alioquin in spiritu vehemēti conterimus naves Tharsis, conterimus quassatum calamum, extinguimus linum fumigans.

6. Sed, cum uterque aderit, videlicet et compassionis affectus, et zelus justitiæ; necesse est ut adsit spiritus discretionis, ne forte, cum oporteat hunc exhiberi, ille procedat, et indiscretio ipsa confundat universa. Habeat itaque mens nostra tertium, scilicet spiritum discretionis, ut miscens apte temporibus tempora, opportune æmulari et nihilominus ignoscere sciat. Samaritanus sit, custodiens et observans quando oleum misericordiæ, quando vinum fervoris exhibeat. Et ne forte meum putetis inventum, prophetam audite in Psalmo, hæc eadem et

eodem ordine postulantem: *Benitatem, inquit, et disciplinam, et scientiam doce me* (*Psal. cxviii, 66*).

7. Sed unde hæc nobis? Neque enim talia profert virtutum germina terra cordis nostri, sed magis spinas et tribulos germinat nobis. Emere ergo oportet. A quo autem emenda sunt? Ab eo utique qui ait: *Venite, emite absque argento et absque ulla commutatione vinum et lac* (*Isa. lv, 1*). Non ignoratis quid lactis dulcedo, quid vini designet austeritas. Quid est autem emere sine argento et sine commutatione? Non talis est emptio apud amatores hujus sæculi; sed apud auctorem sæculi alia esse non potest. Propheta enim dixit Domino: *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges* (*Psal. xv, 2*). Quam igitur commutationem ei dabit homo pro gratia sua, qui nullius eget, et cujus sunt universa? Gratia gratis datur: etiam cum emitur, gratis emitur; quia quod datur pro ea, nobis melius retinetur.

8. Tria ergo aromata mentis nummo propriæ voluntatis emenda sunt. Quam quidem dimittentes nihil amittimus, etiam et lucratur plurimum, commutantes illam in melius, ut communis fiat quæ propria fuit. Porro communis voluntas charitas est. Emimus ergo absque commutatione, recipientes quod non habuimus, et quod habuimus, melius retinentes. Quando vero compatiatur fratri, qui in propria voluntate nescit compati nisi sibi? aut quando amans seipsum diligit justitiam, et odio habebit iniquitatem? Simulare quidem potest ante oculos hominum, etiam et semetipsum seducere, ut, cum privato amore vel odio ducitur, compassionis affectum, aut zelum putet esse justitiæ. Verum facile est nosse quam sint aliena a propria voluntate, quæ propria sunt charitatis, cui illa recta fronte contrariam se constituit. Nam charitas benigna est, charitas super iniquitate non gaudet (*I Cor. xiii, 4, 6*), Jam de spiritu discretionis scimus, quia nihil sic illum extinguit quomodo voluntas propria, subvertens corda hominum, et rationis oculos claudens. Emenda proinde sunt tria mentis aromata, affectus compassionis, rectitudinis zelus, et spiritus discretionis, nummo, ut dictum est, propriæ voluntatis.

9. Linguae quoque aromata tria nihilominus sunt: modestia in increpando, copia in exhortando, efficacia in persuadendo. Vis habere hæc aromata? Eme illa a Domino Deo tuo. Eme, inquam, et sicut priora, sine ulla commutatione: ut aliquid recipias, perdas nihil. Eme a Domino moderatam correptionem, quia omnino magnum quoddam bonum et datum optimum est, et quod habeant pauci. *Linguam enim*, ut ait beatus Jacobus, *nemo domare potest* (*Jac. iii, 8*). Videas multos, sincera licet intentione et benigno accedant animo, leviter dicere quod graviter audiatur. Volat irrevocabile verbum (*Hor. Epist. I, xviii, 71*); et quod sanare debuerat, quia mordacius forte videtur, exasperat et exulcerat magis; quando negligentiae additur impudentia, etiam et impatientia cumulat; ut qui in sordibus erat, sordescat

adhuc, declinans in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis, ac more phrenetici non solum repellens, sed et mordere tentans medici manum. Multis quoque non suppetit verborum copia, sed præ sermonis inopia linguam suam palato adhærescere sentiunt: quod et ipsum interdum solet audientibus obesse non parum. Aliis vero ad manum est abundantia multa sermonis; sed quæ dicunt, minus sapiunt, minus acceptantur: et, quia gratiam non habent, minus efficacia sunt quæ loquuntur, Vides ergo quam necesse sit emere ab eo a quo omne bonum est, a quo omnis scientia, modestiam in increpando, copiam in exhortando, efficaciam in persuadendo.

10. Proinde eme ista nummo confessionis, ut prius peccata tua confitearis, quam ad expurganda accedas aliena. Magnum prorsus et mirabile sacramentum animæ suscitatio est: vide ne ad illud immundus accedas. Quod si forte non potes innocens, imo quia non potes; lava inter innocentes manus tuas, antequam circumdes monumentum Domini. Omnia siquidem in confessione lavantur. Et hæc ablutio in quamdam innocentiam tibi deputabitur, ut inter innocentes assistas. Ad altaris officium nemo accedit in veste communi; sed quisquis accessurus est, albis induitur. Et tu ergo, cum ad Domini monumentum properas, lavare, dealbare, induere vestimentis gloriæ, ut dicatur tibi: *Confessionem et decorem induisti* (Psal. ciii, 4). Quia ubi confessio, ibi in conspectu Domini pulchritudo est. ☉☉ Hæc pro eo dicta sunt, ut aromata linguæ, moderata increpatio, copiosa exhortatio, efficax persuasio nummo confessionis emanent.

11. Verumtamen legimus (Apud GREGOR. MAGNUM in *Pastorali*), et quotidianis etiam experimentis didicimus, cujus vita despicitur, restat ut prædicatio contemnatur. Paret ergo et manus aromata sua, ne subsannet nos Sapiens tanquam pigrum illum cui labor sit manum ad os porrigere (Prov. xix, 24); ne possit dicere is quem arguis: *Tu, qui alium doces, te ipsum non doces* (Rom. ii, 21). Alligas enim onera gravia et importabilia, et imponis ea in humeros hominum, digito tuo nolens ea movere (Matth. xxiii, 4). Dico vobis: Sermo quidem vivus et efficax exemplum est operis, facile persuadens quod intendimus, dum factibile probat esse quod suademus. Pro hujusmodi habeat necesse est etiam manus aromata sua, continentiam in carne, misericordiam in fratre, patientiam in pietate. Unde Apostolus ait: *Sobrie, et juste, et pie vivamus* (Tit. ii, 12). Hæc enim tria sunt conversationi nostræ maxime necessaria; quoniam primum debemus nobis, secundum proximo, tertium Deo. Nam qui fornicatur, in corpus suum peccat, magno illud privans honore, et pavendo addicens pudendoque dedecori, tollens membrum Christi, et faciens membrum meretricis. Ego autem non ab ea tantum, quæ tam abominabilis est, sed ab omni voluptate carnis continendum dico. Ante omnia igitur perfectam hanc continentiam

quære, quam debes tibi ipsi: nemo enim tibi propinquior est. Dehinc adde misericordiam quam debes proximo, quia cum eo salvandus es; deinde etiam patientiam quam debes Deo, quia ab eo salvandus es. *Omnes enim qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur* (II Tim. iii, 12); et: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum caelorum* (Act. xiv, 21). Vide ergo ne per impatientiam pereas, sed universa pro eo sustine qui prior majora pro te sustinuit, et apud quem infructuosa patientia non erit, sicut ait Propheta: *Patientia pauperum non peribit in finem* (Psal. ix, 19).

12. Porro hæc manus aromata nummo subjectio- nis emuntur. Hæc est enim quæ dirigit gressus nostros, et sanctæ conversationis gratiam promeretur. Nam, si contraria lex inventa est in membris nostris per inobedientiam, quis nesciat per obedientiam continentiam dari? Ipsa quoque est quæ misericordiam ordinare novit, ipsa quæ patientiam et docet et donat. Cum his igitur aromatibus accede ad eum in quo fides mortua est. Verum, si consideremus quam magnum sit ad nos suscitare eum qui hujusmodi est, quam difficile sit vel accedere ad cor ejus, quod lapidea quædam obstinatio et impudentia clausit, puto quod dicere habeamus et nos: *Quis revolvat nobis lapidem ab ostio monumenti?* Attamen, dum sic trepidi veremur accedere, cunctantes ad tam grande miraculum, fit nonnunquam ut solita pietate præparationem cordis nostri audiat auris divina, et ad vocem virtutis ejus resurgat qui erat mortuus. Et ecce angelus Domini, hilaritas quædam in vultu illius, tanquam in ostio monumenti nobis apparet, et fulgor quidam index resurrectionis, ut aperte videatur facies ejus immutata, accessum præbens nobis ad cor suum, imo et advocans, ipsumque obstinationis suæ revolvens lapidem, et sedens super eum: ita ut suscitata fide ipsa, etiam lintamina, quibus obvoluta fuerat, ipse demonstret. Dumque omnia quæ in corde suo prius actitabantur aperit, et confitetur quomodo se ipsum sepelierat intus, ipsam tepiditatem et negligentiam suam prodens: *Venite, inquit, et videte locum ubi positus erat Dominus* (Matth. xxviii, 6).

SERMO III.

De mersione Naaman septies in Jordane, deque mundatione septemplex lepræ; et de septem apparitionibus Domini resurgentis, quibus septem dona Spiritus sancti designantur.

1. Sicut in corporum medicina prius purgationes adhibentur, deinde refectioes, ut scilicet prius exinauiatur corpus ab humoribus noxiis, dehinc cibus saporibus foveatur: sic medicus animarum Dominus Christus, cujus tota dispensatio, quam exhibuit in carne, medicina salutis est; ante passionem suam septem dedit purgationes, post resurrectionem suam totidem cibos salubres pariter et suaves. Eliseus noster Naamam leprosum septies in Jordane mergi præcepit (IV Reg. v, 10), qui interpretatur *descensus*. In descensu namque Domini nostri Jesu Christi, id est in humilitate conversatio-

nis ejus, quam exhibuit ante passionem, mundamur et purgamur; in resurrectione vero et vita quam ostendit quadraginta diebus reficimur, et delectabilibus pascimur alimentis. Septempliciter enim occupavit nos lepra superbæ; in proprietate possessionum, in gloria vestium, in voluptate corporum, in ore quoque dupliciter, similiter et in corde. Prima est lepra domus, qua divites esse volumus in hoc sæculo. Sed ab ista mundamur, si immergimur in Jordane, id est in Christi descensu. Invenimus enim quoniam ille, cum esset dives, propter nos pauper factus est. Descendit ab inenarrabilibus cœli divitiis, et veniens in mundum, nec istas qualescunque divitias habere voluit, sed in tanta paupertate venit, ut natus continuo poneretur in præsepio, quia ei non erat locus in diversorio (*Luc. II, 7*). Denique qui nesciat quoniam Filius hominis non habebat ubi caput suum reclinaret? Qui bene mergitur hic, quando quæret divitias hujus mundi? Et vere magna abusio, et magna nimis, ut dives esse velit vermiculus vilis, propter quem Deus majestatis et Dominus sabaoth voluit pauper fieri.

2. Porro in lepra vestis, omnem sæculi hujus pomposam intellige vanitatem. Nam ab illa nihominus in Jordanis mersione mundaberis, ubi invenies Christum Domini vilibus pannis involutum, factum opprobrium hominum, et abjectionem plebis. A lepra quoque corporis mundamur in ipso Jordane, si bene cogitantes Dominicam passionem, erubescimus sequi corporis voluptatem. At in ore, ut diximus, duplex est lepra. Cum enim adversi quidquam contigerit, murmuramus, et impatientiæ verbum tanquam lepræ sanies effluit. Sed ab hac mundamur si illum attendimus, qui tanquam ovis ad occisionem ductus est, et non aperuit os suum (*Isai. LIII, 7*): qui, cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur (*I Petr. II, 23*). In prosperis quoque contra eum qui dixit: *Non qui se ipsum commendat, ille probatus est (II Cor. X, 18)*; commendamus nosmetipsos, non in multa patientia, sed in arrogantia: et inquinat nos altera lepra, verbum jactantiæ. Ut ergo mundemur ab illa, mergamur in Jordane, et imitemur eum qui non quærebat gloriam suam. Unde et dæmonia quæ clamabant quia ipse esset Dei Filius, præcipiebat obmutescere (*Luc. IV, 34, 35*); et illuminatos cæcos dicere prohibebat (*Matth. IX, 30*).

3. In corde duplex est lepra; propria voluntas, et proprium consilium. Lepra utraque nimis pessima, eoque perniciosior, quo magis interior. Voluntatem dico propriam, quæ non est communis cum Deo et hominibus, sed nostra tantum: quando quod volumus, non ad honorem Dei, non ad utilitatem fratrum, sed propter nosmetipsos facimus, non intendentes placere Deo et prodesse fratribus, sed satisfacere propriis motibus animorum. Huic contraria est recta fronte charitas, quæ Deus est. Hæc enim adversus Deum inimicitias exercens est, et guerram crudelissimam. Quid enim odit aut punit Deus

præter propriam voluntatem? Cesset voluntas propria, et infernus, non erit. In quem enim ignis ille desæviet, nisi in propriam voluntatem? Etiam nunc, cum frigus aut famem aut aliquid tale patimur, quid læditur nisi propria voluntas? Quod si voluntarie sustinemus, ipsa jam voluntas communis est; sed infirmitas quædam et velut pruritus voluntatis adhuc de proprio est, et in illo omnes pœnas sustinemus, donec penitus consumatur. Nam voluntas illa proprie dicitur, cui assentimur, et cui se liberum inclinatur arbitrium. ¶ Hæc autem desideria et concupiscentiæ, quæ invitos tenent, non voluntas, sed corruptio voluntatis est. Porro voluntas propria quo furore Dominum majestatis impugnet, audiant et timeant servi propriæ voluntatis. Primo namque seipsam et subtrahit et subducit ejus dominatui, cui tanquam auctori servire jure debuerat, dum efficitur sua. Sed nunquid contenta erit hac injuria? Nequaquam: addit adhuc et quod in se est, omnia quoque quæ Dei sunt, tollit, et diripit. Quem enim modum sibi ponit humana cupiditas? Nonne qui per usuram acquirit pecuniam modicam, similiter mundum lucrari conaretur universum, si non deesset possibilitas, si suppeteret voluntati facultas? Dico fiducialiter: nemini, qui sit in propria voluntate, posset universus mundus sufficere. Sed utinam vel rebus istis esset contenta, ne in ipsum, horrible dictu, desæviret auctorem! Nunc autem et ipsum, quantum in ipsa est, Deum perimit voluntas propria. Omnino enim vellet Deum peccata sua aut vindicare non posse, aut nolle, aut ea nescire. Vult ergo eum non esse Deum, quæ, quantum in ipsa est, vult eum aut impotentem, aut injustum esse, aut insipientem. Crudelis plane et omnino execranda malitia, quæ Dei potentiam, justitiam, sapientiam perire desiderat, Hæc est crudelis bestia, fera pessima, rapacissima lupa, et læna sævissima. Hæc est immundissima lepra animi, propter quam in Jordane mergi oportet, et imitari eum qui non venit facere voluntatem suam: unde et in passione: *Non mea, inquit, voluntas, sed tua fiat (Luc. XXII, 42)*.

4. Lepra vero proprii consilii eo perniciosior est, quo magis occulta; et quanto plus abundat, tanto sibi quisque sanior esse videtur. Hæc illorum est, qui zelum Dei habent, sed non secundum scientiam, sequentes errorem suum, et obstinati in eo, ita ut nullis velint consiliis acquiescere. Hi sunt unitatis divisores, inimici pacis charitatis expertes, vanitate tumentes, placentes sibi, et magni in oculis suis, ignorantes Dei justitiam et suam volentes constituere. Et quæ major superbia, quam ut unus homo toti congregationi judicium suum præferat, tanquam ipse solus habeat Spiritum Dei? *Idololatriæ scelus est non acquiescere, et quasi peccatum ariolandi repugnare (I Reg. xv. 23)*. Eant nunc qui se faciunt religiosiores aliis, qui non sunt sicut cæteri hominum, Ecce arioli et idololatræ facti sunt, si tamen vel ei qui dixit hoc, plus quam sibi judicant esse credendum. Neque huic dissonat Veritatis sermo, quem

dixit: *Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (Matth. xviii, 17). Sed ubi poterit hæc lepra mundari, nisi in Jordane? Ibi mergere, quicumque hujusmodi es, et attende quid fecerit magni consilii angelus, quomodo consilium suum postposuerit consilio, vel magis voluntati mulieris unius: beatam Virginem loquor; et fabri pauperis; ipse est Joseph. Inventus enim in medio doctorum, audiens eos et interrogans, quodammodo increpatus a Matre est: *Fili, quid fecisti nobis sic?* At ille: *Quid erat, inquit, quod me quærebatis? Nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse? At illi non intellexerunt verbum.* Et quid fecit Verbum? Non capiebatur in se: *descendit*, ita ut esset etiam *subditus illis* (Luc. ii, 46-51). Quis jam non erubescat obstinatus esse in consilio suo, quando suum Sapientia ipsa deseruit? Sic mutavit consilium suum, ut quod jam tunc ceperat, extunc usque ad tricesimum ætatis suæ annum prorsus dimiserit. Nihil enim ab hoc duodecimo anno de ejus doctrina vel operibus invenis usque ad annos triginta.

5. Sed forte quærendum ab ipso est quomodo voluntatem suam consiliumve reliquerit. O Domine, voluntas, de qua dixisti ut non fieret, si bona non erat, quomodo tua erat? si bona erat, quare derelicta est? Sic et consilium si non bonum, quomodo tuum? si bonum, quomodo relinquendum? Et bona erant, et ejus erant: neque minus tamen relinquenda, ob hoc videlicet ut fierent meliora. Neque enim oportebat **905** propria præjudicare communibus. Erat ergo voluntas Christi, et bona erat, quæ dicebat: *Si fieri potest, transeat a me calix iste* (Matth. xxvi, 59). Sed ea de qua dicebat: *Fiat voluntas tua* (Luc. xxii, 42), melior erat; quia communis non solum Patris, sed et Christi ipsius (oblatus est enim, quia ipse voluit), et nostra. Nisi enim granum frumenti cadens in terram mortuum esset, ipsum solum maneret; mortuum vero multum fructum attulit. Atque hæc voluntas Patris erat, ut videlicet haberet quos adoptaret in filios; Christi erat, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus; nostra erat, quia pro nobis faciebat ut redimeremur. De consilio idem dicimus. Christi enim erat, et bonum erat consilium illud quod ait: *Quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse.* Sed quia illi non intellexerunt, mutavit illud consilium, ut nos mun-

A daret ab ea lepra, quæ proprii consilii est. Exemplum enim dedit nobis, ut et nos ita faciamus. Nam ab initio noverat quid esset facturus: sed voluit formam nobis hujus humilitatis exhibere, et ad lavandam pessimam hanc lepram divinum in se ipso parare Jordanem. Audiant igitur utriusque pariter, qui propriæ voluntatis, et qui proprii consilii lepra sordent: audiant quid Spiritus dicat Ecclesiis, brevi uno versiculo lepram utramque condemnans: *Sapientia, ait, quæ desursum est; primum quidem pudica est, contra propriæ voluntatis impuritatem; deinde pacifica* (Jac. iii, 17), contra consilii proprii obstinatam rebellionem.

6. Cum ab his septem purgatus fuerit æger, tanquam post septem cellas quærat septem fercula, quæ sunt septem Spiritus sancti dona. Porro, sicut in vita Domini ante passionem septem purgationes invenimus, sic et in apparitionibus septem quæ post resurrectionem factæ leguntur, septem illa dona Spiritus sancti possumus invenire. In prima spiritum timoris accipe, quando mulieribus sanctis venientibus descendit angelus de cælo, et terræmotus factus est, ita ut ipsas timore perterritas oportuerit ab angelo consolari (Matth. xxviii, 2-10). In spiritu pietatis apparuit Simoni (Luc. xxiv, 34), quia magna omnino, et vere Domino Jesu digna pietatis dignatio, quod ei quasi singulariter et ante cæteros dignatus est apparere, quem præ cæteris de negatione ejus rea conscientia confundebat, ut ubi abundavit delictum, superabundaret et gratia. In spiritu scientiæ duobus pergentibus in Emmaus Scripturas exposuit, incipiens a Moyse et prophetis (ibid. 27). In spiritu fortitudinis januis clausis intravit, ostendens manus et latus (Joan. xx, 19, 20), sicut solent in signum virtutis clypeorum foramina demonstrari. In spiritu consilii frustra in piscatione laborantes mittere in dexteram rete consuluit (Joan. xxi, 6). In spiritu intellectus aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas (Luc. xxiv, 45). In spiritu sapientiæ die quadragesima apparuit eis, quando videntibus illis elevatus est (Act. i, 9), et viderunt Filium hominis ascendentem ubi erat prius. Usque ad illam enim diem quasi per stultitiam prædicationis salvos faciebat credentes; postquam vero coram eis ascendit ad Patrem, jam cepit sapientia declarari.

IN OCTAVA PASCHÆ

SERMO I.

De fide vincente, et tribus testimoniis in cælo et in terra. (I Joan. v, 4-11.)

1. *Omne quod natum est ex Deo, vincit mundum.* Postquam Unigenitus Dei non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, hominis quoque dignatus est fieri filius, et habitu inventus ut homo, non immerito jam de cælesti generatione exiguitas humana præsumit. Neque enim indignum est Deo, eorum fieri

patrem, quorum se Christus fecerit fratrem. Hinc est quod beatus Joannes (qui sæpius nobis ac studiosius hanc commendat adoptionem filiorum Dei) in ipso quoque Evangelii sui principio: *Quotquot, inquit, receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri* (Joan. i, 12). Huic ergo verbo simile est quod audivimus hodie de **906** ejus Epistola recitari: *Omne, inquit, quod natum est ex Deo, vincit mundum.* Quotquod enim sunt Christi, cum Christo eos, mundus odit; sed cum Christo superatur pariter et